

constitutus sum totis noctibus: & ecce iste venit currus viri, parvis equitum, qui dixit: cecidit, cecidit Babel confer. infra Annotat. ad Cap. II.

§. 18.

Quaestio quoque a Theologis mota est, utrum duo fuerint Habakuki prophetae, an vero unus? Notum est, quosdam viros eruditos duos statuere prophetas hujus nominis, allegat quosdam Scipio Sgambatus in Archiv. V. T. Tit. XL. p. 341. quorum sententiam idem approbat. Cl. quoque Huët. in Demonstr. Evang. de Prophetia Habakuk p. 508. sqq. eandem sententiam tuetur. Sed nobis videtur id praeter necessitatem fieri, ut enim alius & ab eo, qui hebraica edidit vaticinia, statuatur Habakuk, ob eam rationem imprimis factum est, ut veritas fabulae de Susanna & dracone Babelis adstruatur, quod, ut supra diximus, necessarium non est. Si dixeris fabulae illius autorem supposuisse Habakukum quendam Danieli coævum; respondemus: Habakukum nostrum praecessisse Nebucadnezaris invasionem primam in Judæam brevi tempore, & vaticinatum esse, antequam Daniel juvenis in captivitatem est abductus, quod fabulae auctori occasionem dedit fingendi Habakukum Danielis opfonatorem. Deinde nullo firmo patrum testimonio confirmari potest, duos fuisse Habakukos, quam enim Epiphanius narrationem de prandio Danieli oblato adscribit Habakuko ex tribu Simeonis oriundo, eandem Hieronymus cum Eusebio & Apollinario attribuunt Habakuko ex tribu Levi nato, quod ex supra dictis constat. Tandem eandem de gemino Habakuko sententiam ea premit difficultas, quod prior Habakuk ex tribu Simeonis ortus & Manassi regi æqualis, vaticinatus dicatur,

tur,